

Hist. Eccles. l. III, c. 3. Ex cadaverum autem copia mox sequuta est terrima pestis; tum etiam intestinae discordiae, violentiae, crimina, quae omnia simul sumpta infelicis gentis calamitatem ita auerunt ut revera nihil simile unquam auditum fuerit, quemadmodum Christus praedixerat. Nec desuerunt « *signa terroresque de caelo* » ut patet ex Iosepho qui ea accurate describit (l. VII, c. 12) quaeque bellum ipsum aliquamdiu praecesserunt; Tacitus etiam hist. l. V, c. 45, eadem paucis perstringit: « Visae, inquit, per noctem concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum, expansae repente delubri fores, et audita maior humana vox, excedere Deos, simul ingens sonus discedentium. » Capta vero urbe, templum incendio consumptum est, et quidem invito et repugnante ipso Tito: is enim tam insigne religionis, artisque monumentum servare decreverat (Iosephus Fl. l. VII, c. 9), sed frustra: cum enim milites Romani seditiosos quosdam usque ad templum persequerentur: « miles quidam (sunt verba Iosephi) non expectato cuiusquam mandato, nec tantum facinus veritus, sed divino quodam impetu actus, ex ardenti materia aliquid rapit, et a milite altero sublevatus ignem per fenestram aetream iniecit. » Excitato mox incendio impossibile fuit illud extinguere, quamvis Titus illico occurrisset cum ducibus exercitus et magna militum turba, et flammam extinguere conaretur (ibid. c. 10).

Ita etiam de portentosa Iudaici populi caede haec refert Iosephus lib. V, cap. 12, n. 4: « Has (fossas scilicet in quas cadavera proiecta fuerant) cum Titus forte circumiret ubi oppletas cadaveribus conspexit, altamque sanie putrefactis corporibus diffluentem, ingemuit, sublatisque in caelum manibus Deum testatus est facinus illud suum non esse. » Intellexit scilicet Romanus Imperator tam ingentem populi calamitatem non hominum virtuti aut viribus, sed speciali Divinae Providentiae consilio tribuendam esse. Addit vero idem auctor lib. VII, cap. 17: « Titus considerans solidam earum turrium altitudinem et singulorum lapidum molem, exactissimamque coagmentationem, Deo, inquit, favente bellavimus, Deus est qui Iudaeos ex istis munimentis deturbavit; nam hominum manus et machinae quid contra tales turres valissent? Ex quibus omnibus apparet quam bene et accurate Christi vaticinium in singulis adiunctis impletum fuerit. Neque epocham a Christo assignatam eventus fefellit, siquidem haec omnia anno septuagesimo aerae

vulgaris, idest quadagesimo circiter post praedictionem locum habuerunt quo vera demonstrantur Christi verba Matth. XXIV, 34: « *non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant.* »

§. III. Ex Christi Domini Resurrectione Thesis confirmatur.

De Christi resurrectione speciatim disserere proposuimus tum quia ceterorum argumentorum veluti complementum et corona habenda est, tum quia simul et insigne prodigium continet et illustris vaticinii implementum: prodigium quidem ut per se patet, vaticinium autem quia Christus non semel neque ambiguis verbis suam resurrectionem praedixerat, quemadmodum exempli gratia praestitit Io. II, et Matth. XII cum Iudaeis signum poscentibus signum ullum praebere recusavit, nisi *signum Ioniae Prophetiae*, aut iterum iis signum quaerentibus respondit: « *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* » (Io. II, 19), quibus figuris suam post triduum resurrectionem praenunciavit ut Evangelista loc. cit. v. 21 expresse monet. Sed multo clarius et absque illis figurarum ambagibus idem praedixit Christus cum suos discipulos alloqueretur ut ex. gr. in Matthaei loco alias citato, ubi praedicta filii hominis passione ac morte subdit « *et tertia die resurget*; » quod etiam antea non semel fecerat, ut legitur Matth. XVI, 21, Matth. XVII, 22. Hoc autem vaticinium tam clarum et tam bene universo populo notum erat ut inde primores Hebraeorum occasionem sumpserint custodiam pro Christi sepulchro ac cadavere a Romano Praeside postulandi: « *Domine (inquiunt Matth. XXVII, 63) recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, et furentur eum, et dicant plebi: surrexit a mortuis, et erit novissimus error peior priore. At illi Pilatus: habetis custodiam, ite custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus...* »

Ex his igitur apparet quanti momenti sit gloriosam Christi resurrectionem in tuto collocare. Quod etiam Christianae Religionis hostes probe sentientes nihil intentatum reliquerunt ut dubia de huius facti veritate moverent quemadmodum nostra aetate praestare

conati sunt duo illi hodiernae incredulitatis antesignani Strauss, et Renan, contra quos superius a nobis disputatum est.

Ut veritas resurrectionis Christi Domini demonstretur nihil aliud a nobis praestandum est nisi adversarios ad ea argumenta revocare quibus facta quaelibet historica demonstrantur, quae omnia ita perfecte et cumulate in huius facti veritate concurrunt ut tuto affirmari possit nihil in universa sive sacra sive profana historia aequae certum ac testatum haberi. Sane veritas facti de quo loquimur innititur testibus 1° numero plurimis, 2° scientia facti necessario instructis, 3° in eo admittendo minime credulis, immo vero difficilioribus ac paene obstinatis, 4° mire inter, se consentientibus, et in facto asserendo usque ad tormenta et mortem constantibus, 5° demum in talibus adiunctis constitutis, in quibus alios decipere eis prorsus impossibile fuisset.

1° Testes Resurrectionis, qui Christum redivivum viderunt, plurimos numero fuisse referunt N. T. libri. Nam praeter Mariam Magdalenam (Io. XX), aliasque mulieres (Matth. XXVIII, 9) ipso resurrectionis die testes occurrunt duo discipuli Emmaentem pergentes (Luc. XXIV), tum vero omnes simul Apostoli praeter Thomam (Marc. XVI, 14); iterumque omnes cum Thoma octavo resurrectionis die (Io. XX, 26); rursus eorum septem in lacu Genesareth piscantes (Io. XXI); mox omnes in monte Galilaeae (Matth. XXVIII, 16, 17); seorsim vero Petrus, Iacobus, Paulus (1 Cor. XV, 5, 7, 8), nec non *plusquam quingenti* discipuli simul (1 Cor. XV, 6), quorum plures in vivis erant cum Paulus haec scriberet: « Deinde (inquit Paulus loc. cit.) visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. »

Alias etiam Christi redivivi apparitiones generatim refert Lucas iniquiens Act. I, 3: « Quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei, » quod etiam repetit Paulus Iudaeis praedicans Act. XIII, 30, 34. Testes igitur resurrectionis plurimos fuisse compertum est.

2° Hos vero testes *facti notitiam certam* habuisse ex dictis satis innotescit. Siquidem non semel tantum Christus eis se videndum praebuit sed pluries toto quadraginta dierum spatio (Act. I, 3). Neque videndum tantum sed et palpandum ac tractandum (Luc. XXIV, 39): « Videte manus meas et pedes quia ego ipse sum: *palpate* et

videte quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere; » praeterea cum iis diu colloquutus est et convivio exceptus cum iis manducavit (Luc. XXIV, 41, 42, 43, Io. XXI, 5-14) aliisque modis sui corporis veritatem iis demonstravit ita ut Lucas vere dixerit eum *in multis argumentis se ipsum vivum praebuisse*.

3° Nec suspicio deceptionis ex parte discipulorum ulla esse potest, quasi nempe inconsiderate et temere sibi persuaserint resurrexisse Christum. Ii enim nequaquam proclives ad credendum fuerunt, quin imo praeter modum *difficiles* atque *increduli*, ita ut nonnisi rei evidentia convicti tandem plenum praebuerint assensum. Sane annunciantibus resurrectionem mulieribus, quamvis omnem eventus seriem quam suis oculis spectaverant ex Angeli iussu referrent, fidem tamen praebere recusarunt: « Et visa sunt (inquit Lucas XXIV, 11) ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis. » Petrus et Iohannes ad sepulchrum festinant, illud ingrediuntur, corpus non inveniunt, rem ad alios referunt, neque adhuc credunt; nam sub vespere eiusdem diei duo discipuli adhuc de eventu dubii ipsius Christi reprehensionem merentur: « O stulti et tardi corde ad credendum » (Luc. XXIV, 23); qui tandem de veritate resurrectionis convicti, cum rem ad undecim discipulos retulissent: « *nec illis crediderunt* » (Marc. XVI, 13). Cum autem ipsis Apostolis simul congregatis apparuisset Iesus, ipsi « conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre » imo etiam postquam palpaverant adhuc non *credentes* et *admirantes* exhibentur (Luc. XXIV, 44). Prae ceteris vero Thomas eo usque progressus est ut neque postquam ceteri credidissent assensum praebuerit, sed nova apparitione novisque argumentis convinci debuerit. Quapropter Apostoli et Discipuli nimiae difficultatis aut pervicaciae insimulari possunt, non vero incredulitatis ac fanaticismi, ita ut merito ab ipso Domino reprehensi fuerint cum: « novissime recumbentibus illis undecim apparuit, et *exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis*, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt » (Marc. XVI, 14). Post haec cum videamus hos ipsos testes tandem aliquando de facti veritate convictos, quis eis fidem negare poterit?

4° Sed crescit argumentum ex ipsorum testium *constantia* in Christi resurrectione semel certo cognita affirmanda et praedicanda: non enim semel tantum aut iterum rem testati sunt, sed

exinde praecipuum hoc fuit eorum praedicationis argumentum, idque per plures annos usque ad eorum mortem; neque ab hoc festimonio vel minis, vel carcere, vel tormentis vel morte ipsa intentata deterreri potuerunt. Hebraeorum sacerdotes ac proceres districte inhibent Apostolis talia praedicare, at illi pristinae timiditatis oblitii mira constantia respondent: « Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum iudicare: non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui » (Act. IV, 19, 20). Tum vero, spreta Iudaeorum comminatione, in Christi resurrectione attestanda alacrius perseverant. Ventum est ad flagella: at illi « ibant gaudentes a conspectu Concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » (Act. V, 40, 41); donec in eadem confessione constantes Iacobus gladio peremptus (Act. XII, 2), lapidibus obrutus Stephanus (Act. VII), alter Iacobus ex Templi summitate praiceps datus, ceteri Apostoli vario mortis genere necati sunt. Quis non credat testibus, qui in sui testimonii confirmationem tam diu perseverant atque illud sanguine effuso confirmare non dubitant? Nullam effugium adversariis relinquunt. Sciebant enim Apostoli ac Discipuli resurrectionis factum esse tesseram veritatis totius Christi praedicationis, ita ut, ea sublata, *vana esset fides nostra* (1 Cor. XV, 14), proindeque impossibile illis omnino fuisset cum tanto incommodo et cum vitae ipsius dispendio in ea affirmanda perseverare, nisi de illius veritate intime persuasi fuissent, cum scilicet secus nihil iis in altera etiam vita sperandum fuisset a Deo, qui mendacium non probat sed punit. Quare certe Paulus *Apostolorum novissimus* de Christi resurrectione disserens (1. c.) aiebat: « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus (cum scilicet nec temporalia nec aeterna praemia eos manerent). Nunc autem (prosequitur) Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium. »

3^a Verum fac, per absurdam hypothesim, Apostolos et Discipulos Christi mentiendi animum habuisse, quomodonam fraus illis succedere e voto potuisset? siquidem nihil facilius erat quam fraudem publicae detegere et testes ipsos falsitatis revincere. Sane totius eventus circumstantiae in mentem revocandae sunt. Christi cadaver in sepulchro conditur non ab Apostolis electo, sed ab alio mutuo, et aliis destinato (Math. XXVII, 60); sepulchrum autem in saxo excisum erat ita ut nulla secreta ad ipsum via esse posset

(Math. ibid. Luc. XXIII, 53); ad ostium sepulchri ingens saxum advolvitur (Math. I. c. Marc. XV, 46; XVI, 3, 4) ac veluti si omnes istae cautelaearum essent, saxum ipsum sigillo sacerdotum munitur, ita ut non nisi eo fracto removeri posset (Math. XXVII, 66); denique milites ad sepulchri custodiam collocantur. In hisce rerum adiunctis quomodo possibile Apostolis fuisset corpus e sepulchro educere, ita ut postridie mane amplius inventum non fuerit? Numquid discipuli vim adhibuerunt? Sed quisnam haec de iis suspicari poterit cum paulo ante timore perculsi aufugerint, et Magistrum in manibus satellitum solum reliquerint, eoque occiso, ob metum Iudaeorum per plures adhuc dies latitaverint? Deinde si tantam in iis audaciam supponere velimus, quomodo milites iis non restiterunt, et violentiam fraudemque populo non proclamarunt? Vis igitur ab Apostolis illata non est. Sed neque collusio inter milites et Apostolos cogitari potest: quomodo enim sperassent Apostoli homines plebei, Romanis aequae ac Iudaeis invisi, pauperes et nullius auctoritatis, hominis a publico magistratu morte damnati sectatores et comites, quomodo, inquam, sperassent Romanorum cohortem fidelitate ac integritate celebrem corrumpere posse? Profecto si tam insanum consilium suscepissent eorum fraus statim a Romanis ipsis denunciata ac punita fuisset. Deinde factum ipsum dubitationem omnem excludit. Nam de militum collusione nulla orta est suspicio, quamvis Iudaei praetextus omnes aucuparentur ad resurrectionis evidentiam infirmandam. Nullum igitur ipsis effugium relictum est nisi militibus persuadere, ut sibi dormientibus cadaver sublatum fuisse dicerent (Math. XXVIII, 13-15). Miserum sane effugium! Imprimis enim, ut merito Iudaeos urget Augustinus (Enar. in Ps. 63), quandonam auditum est ad facta probanda *dormientes testes* adhiberi? Sed praeterea quis unquam sibi persuaserit Romanos milites severae ac rigidae disciplinae assuetos omnes simul dormisse cum maxime vigilandum foret, aut, hoc etiam per hypothesim admissum, quomodo potuerunt discipuli sepulchrum adire, sigillum frangere, lapidem ingentis molis revolvere, et sepulchrum ingressi cadaver inde auferre, linteamina solvere, ac sua quaeque loco diligenter reponere (1) ac si temporis

(1) (Io. XX, 5-7) « Et cum se inclinasset (Iohannes) vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita et sudarium, quod

copia superesset, denique corpus in humeros sublatum alio asportare quin ullus e militibus evigilaret, ac ceteris sociis e somno excitatis facinus impediret, audacesque discipulos pro merito castigaret? Et re sane vera, ipsi Iudaeorum sacerdotes ac seniores tam inverosimilis suppositionis pudore affecti statim ab eadem urgenda cessarunt, et praedicantibus Apostolis Christi resurrectionem non amplius ausi sunt illis eam obiicere, sed silentio iis imposito, additisque minis ac verberibus, facti illius famam obliterare conati sunt, ut ex citatis locis Actorum apparet: quae agendi ratio Sacerdotum et Seniorum tanquam implicita de resurrectionis veritate confessio habenda est. Concludamus igitur gloriosam Christi resurrectionem a tot testibus, et talibus instructis dotibus, talibusque in adiunctis assertam esse, ut, si historice vera non sit, nullum in historia factum certum foret.

§. IV. Obiectionum solutio.

Contra demonstratam Thesim plura sunt quae ab incredulis obiici solent, ex quibus tamen alia generatim ad totam quaestionem referuntur, alia speciatim factum resurrectionis respiciunt. De altera hac obiectionum serie nihil hoc loci dicemus cum haec antilogias apparentes respiciant, de quibus erit sermo in hermeneutica. Ex generalibus item obiectionibus nonnullas omittimus quas in Apologia Religionis aut in philosophia refutatas supponimus, qualis est illa: miracula et vaticinia vim probandi non habere; aut illa: nullam esse viam vera prodigia a falsis discernendi, et alia similia, quibus ceteroquin a nobis etiam in superioribus quaestionibus satis responsum est. Hic igitur speciosas quasdam adversariorum difficultates ex historia religiosa populorum desumptas breviter expendemus. Itaque.

Obiiciunt I. Increduli adversus primam Thesim partem quae ad miracula pertinet. Illud argumentum Christianae Religionis divinitatem non probat quod pro falsis etiam religionibus adduci potest.

fuerat super caput eius, non eum lintheaminibus positum, sed *separatim involutum* in unum locum. = Quae verba commentans Grotius subdit: = haec tam accurata collectio lintheorum amovebat furti suspicionem. = Fures enim festinant, nec agunt aliena a suo instituto. =

Atqui argumentum ex miraculis desumptum etiam ad falsas religiones confirmandas adduci potest. Ergo etc.

Sane, inquit, nulla est religio quantumvis absurda quae sua miracula non habeat. Et, ut de Graecis et Romanis tantum loquamur, omissis vetustioribus miraculorum narrationibus quae in Herodoto, Diodoro Siculo, Dionysio Halicarnaseo, Tito Livio, Valerio Maximo, aliisque leguntur, notissima sunt prodigia Vespasiani, Hadriani, et imprimis Apollonii Thyanaei nec non plura alia in templo Aesculapii patrata quae apud probatissimos auctores descripta reperiuntur. Vespasianus scilicet, testibus Svetonio et Tacito, Alexandriae in templo Serapidis coeco visum restituit et claudum sanavit, Hadrianus item coecum ex Pannonia oriundum sanasse dicitur quem admodum videre est apud Spartianum eius biographum: prodigia paene innumera de Apollonio Thyanaeo refert Philostratus in eius vita. De prodigiis denique per Aesculapium patris veteres scriptores passim testantur. Haec adversarii.

Respondemus. Antiquissima haec obiectio est et a praecipuis Ecclesiae doctoribus soluta, ut videre est apud Augustinum epistola 3^a ad Marcellum, apud Origenem in libris contra Celsum, et Eusebium in opere contra Hieroclem aliosque antiquos Ecclesiae Patres. Antequam vero directe obiectioni respondeamus invabit nonnulla animadvertere quae vim difficultatis extenuant. Et 1^a quidem, si veteres Christianae Religionis hostes ad Christi et Apostolorum prodigia infirmata ad comparisonem cum praefatis Ethnicorum prodigiis confugiebant, eo ipso implicite fatebantur Christianorum prodigia historice vera esse. Secus enim brevior et tutior via fuisset ea absolute negare, quod tamen nunquam facere ausi sunt, ut in superioribus Thesibus demonstravimus. Animadvertimus 2^a Si omnes religiosae sectae sua prodigia tactant, ergo in eadem conditione religio nostra esset, iisdemque fundamentis innixa ac ceterae sectae religiosae, ut revera contendunt adversarii. Unde ergo factum est ut Christi et Apostolorum prodigia in universo mundo credita fuerint, et illorum vi adactae gentes paene omnes Christianam Religionem susceperint, in eaque profitenda post tot saecula adhuc perseverent, contra vero Ethnicorum prodigia in universo mundo credita, a sapientibus irrisa, brevi in oblivionem lapsa fuerint, ipsaque Ethnicorum superstio Christianismo locum cedere debuerit? Non aliter explicari huiusmodi phaenomenon potest nisi ex immenso discrimi-

mine quod inter certa et clara Christianorum prodigia, et ficta vel suspecta Ethnicorum intercedit. Ex quibus apparet adversariorum obiectionem contra ipsos commode retorqueri posse. Addimus 3^o laudata ab adversariis prodigia nequaquam ad confirmationem Ethnicae Religionis effecta fuisse: quapropter etiamsi quaedam ex illis vera essent (ut de Sibyllarum, et de Vestalium virginum miraculis nonnulli ex nostris affirmant) nihil tamen ex iis concludi posset. Sed iam directe respondendum est.

Si falsa miracula ab Ethnicis vel ab aliis tactantur, non ideo omnia miracula falsa sunt, neque omnia indiscriminatim neganda, sed sana ratio dicat examen criticum instituendum esse, ut vera a falsis discernantur. Iam vero, examine instituto, apparet Ethnicorum prodigia absque solido fundamento affirmari, Christianorum vero omni exceptione maiora esse. Et re sane vera superius demonstratum est quam certis historiae monumentis, quanta testium multitudine ac fide, Christi et Apostolorum prodigia innitantur, quam splendida ac indubitata ea dicenda sint. Videamus igitur an prodigia ab adversariis allegata cum iis comparari possint. Imprimis igitur magna de illorum factorum falsitate suspicio oritur ex eo quod ipsi auctores qui ea referunt dubios de illis sese exhibent. Ita ex. gr. Valerius Maximus ea narraturus in lib. I, cap. 8 hisce verbis lectorem monet: « Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetantur fidem auctores vindicent, » nempe prudens scriptor de rerum istarum veritate vadem se praebere recusat. Clarius Titus Livius in suae historiae prooemio de Romuli aliorumque prodigiis universim affirmat « ea poeticis magis decora fabulis esse, quam incorruptis rerum gestarum monumentis, » proindeque ait se eadem neque affirmare velle neque refutare; denique laudatus Philostratus de praecipuo Apollonii prodigio quo dicebatur mulierem a mortuis suscitasse haec scribit l. IV, cap. 45: « Utrum matrona aliquam etiam tum retinuerit quasi vitae scintillam, quam medici non advertissent, an re ipsa excessisset, non mihi modo, sed et omnibus adstantibus incerta res fuit, cum visum est ab Apollonio vitam ei esse restitutam. » Quis credat prodigiis quibus nec Ethnici ipsi fidem praebere audent nec ea posteris ut certa commendare? Verum si singula expendamus validiora adhuc motiva reperiemus non modo dubitandi de factorum veritate, sed et falsitatis eadem arguendi. Et quod imprimis pertinet ad Vespasiani Imperatoris prodigia critico-

rum sententia est, totam rei seriem ad imposturam et adulationem referendam. Scilicet cum Imperator Alexandriam advenisset (ubi superstitio et magiae usus praeter ceteris regionibus invulnerat) factum est ut Serapidis sacerdotes Vespasiano persuaserint ut memorata prodigia tentaret, quo simul et Iudaeorum gratiam iniret eadem prodigia efficiendo, quae a Christo patrata credebantur, simulque imperium suum quod paulo ante susceperat populorum religione firmaret. Sane hoc ex Taciti et Svetonii testimoniis colligitur. Tacitus rem totam sic refert Histor. l. IV, c. 81: « Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua eius advolvitur, remedium caecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit. Precabaturque principem, ut genas et oculorum orbis dignaretur respergere oris excremento. Alius manu aeger, eodem Deo auctore, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari: atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum, et vocibus adulantium in spem induci; postremo aestimari a medicis iubet, an talis caecitas ac debilitas, ope humana superabiles forent. Medici varie disserere. Huic non exeam vim luminis, et redituram si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Diis, et divino ministerio principem electum; denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, laeto ipse vultu, erecta, quae adstabat, multitudine, iussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac caeco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacii pretium. »

Ex qua narratione satis apparet ad auctoritatem Imperatori conciliandam haec facta fuisse praesertim cum *Serapidis iussu* duo illi homines sanitatem a Vespasiano impetrasse dicantur. (Notum est Serapidem Aegyptiorum numen fuisse in cuius templo coram Sacerdotibus eius cultui addictis haec facta sunt). Idem non obscure insinuat Svetonius, in Vespasiano cap. VII, cum eadem portenta relaturus ait: « Auctoritas et quasi maiestas quaedam, ut scilicet inopinato et adhuc novo Principi deerat: haec quoque accessit. » Postquam vero animadvertisset Imperatorem aegre ac reluctanti animo hortantibus amicis opus tentasse sobrie ac modeste addit

eventum non defuisse. Quod autem fidem omnem laudatis prodigiis detrahit illud est quod superius ex Tacito recitavimus, medicorum scilicet sententiam fuisse, alteri ex aegris illis non omnino *exesam vim luminis et redituram si pellerentur obstantia*, alteri vero languentes artus vi adhibita *posse integrari*. Ex quibus apparet non de veris miraculis tunc actum esse, quae scilicet vires omnes naturae superarent, sed de sanationibus potius quae in iis adiunctis sive per imaginationis lusum, sive hominum fraude prodigiosae existimari poterunt. Nec omittenda est discordia inter duos laudatos scriptores: quem enim Tacitus *manu aegrum* dicit hunc Suetonius *debilem crure* appellat.

Ad Hadrianum quod pertinet notamus imprimis eius prodigia solius Aelii Spartiani auctoritate inniti, qui saeculo tertio desinente historiam Augustam conscripsit. Is itaque in historia Hadriani (Hist. lib. IV, cap. 82) refert mulierem quamdam ad Imperatorem accessisse, quae in somnis se a *Diis monitam* dicebat ut Hadrianum adiret, eique renunciaret brevi eum convalesciturum (tunc enim morbo laborabat Imperator), cumque id facere neglexisset lumen oculorum se amisisset; iterum vero iussam fuisse idem facere ac genua Imperatoris osculari et ad id exequendum se venisse. Quibus peractis, et oculis aqua ablutis visum recepit. Addit citatus scriptor et aliud prodigium: caecum nempe quemdam Hadriano febriente contrectato visum recuperasse. Quis non videat quam haec omnia incerta sint ac suspectae fidei? Res narratur ab auctore qui post duo fere saecula scribebat, nullis adductis testibus, immo res ipsae non in publico sed privato et coram paucis Hadriani familiaribus evenisse dicuntur. Quia imo nec ipse historicus dubia de eventus veritate dissimulat: cum enim dixisset haec in Marii Maximi historia (quae nunc deperdita est) lecta fuisse, candide animadvertit *quamvis Marius Maximus haec per simulationem facta commemoret.* Itaque eruditorum opinio est duo illa portenta ex pia quadam fraude Antonini, quem Hadrianus filium sibi adoptaverat, repetenda esse. Per id enim temporis Imperator in gravem melancholiae morbum inciderat adeo ut necem sibi inferre cogitaret. Quare ad eius mentem a tanto crimine avertendam, eiusque animum inopinato aliquo eventu erigendum Antoninus mulierem illam, alterumque, qui se aegros simularent, in iacentis Principis conclave introduxit, ut

postea se eius ope sanatos dicerent, simulque spem recuperandae valetudinis eius animo ingererent.

Sed iam ad Apollonii prodigia veniendum est, quae tum numero tum splendore maxima fuisse dicuntur, ac praecipuum adversariorum obiectionis fundamentum constituunt. Quid de iis dicemus? Scilicet certum apud omnes est ea omnia vel conficta esse, vel, si historica sint, medicae artis peritiae, aut fraudi, vel magicis artibus tribuenda. Et sane imprimis recolegendum est, prodigiorum Apollonii unum afferri testem, Philostratum, qui centum et amplius post Apollonium annis scribens ex incerta fama et populari traditione Apollonii vitam conflat, quae romanensis potius fabula quam vera historia, seu biographia dici meretur: hinc Eusebius Caesariensis opus illud mendacis somnisque refertum affirmat, et probat in lib. contra Hieroclem, et Photius aequus veterum scriptorum aestimator eundem Philostratum *fabulosum auctorem* appellat. Verum quidem est citatum auctorem affirmare se Damidis cuiusdam scriptis usum fuisse qui Apollonii comes fuisset. Verum ipse fatetur scripta illa nunquam antea vulgata fuisse, imo per longum tempus omnibus ignota in tenebris latuisse; tandem ait sua aetate Iuliam Augustam, quae Apollonii famam audierat, eiusque admiratione capta erat, a quodam familiari eadem scripta dono accepisse, et exinde sibi (Philostrato) tradidisse ut vitam Apollonii lucubraret. Fraus manifesta! Quae etiam ex internis libri characteribus satis elucet: plura enim evidenter absurda et aniles fabellas continet ut ex. gr. Apollonii matrem praegnantem Proteum conspexisse; eundem Apollonium volucrum loquelam intellexisse; ac in Creta insula nympharum cantus audisse quae illum ad coelum vocabant et alia huiusmodi. Quae omnia iam satis essent ad fidem omnem citatis prodigiis adimendam. Verum non negamus mira quaedam ab Apollonio patrari potuisse; hoc tantum negamus, ea quae vere ab illo facta sunt prodigia dici posse. Sane Apollonius ut solemnis impostor a tota antiquitate habitus est, eundemque in arte medica, et in physica scientia peritum, simulque magiae ac praestigii deditum fuisse constat. Refert haec et ingenue fatetur ipse Philostratus (in lib. I, cap. 1^o et 2^o) Magiae crimen eidem impegit Euphrates Tyrius philosophus coaevus ac sapientissimus: ipse Apollonius Brachmanes (quos praestigiatos fuisse fatetur Philostratus lib. VII, cap. 14) sapientes ac beatos nuncupat, eosque uti Deos et magistros suos veneratur. Moe-

ragenes etiam qui Apollonii vitam pariter conscripserat eum Magum appellat (apud Origenem contra Cels. lib. VI), Domitianus autem ea de causa captum Apollonium in carcerem destruit. Quae omnia suadent hominem illum mira multa non tantum physicae scientiae ope, sed et daemonymi virtute ac magicis artibus patrare potuisse, non autem proprie dicta prodigia. Id vero etiam ex natura ac circumstantiis eius operum arguere licet; quae enim de eo portenta narrantur ea plerumque hominibus inutilia, saepe ridicula ac Deo prorsus indigna sunt, et in iis adiunctis peracta quae fraudis, vel astutiae, vel diabolicae operationis suspicionem ingerunt. Denique haec omnia ad eum finem a Philostrato narrantur, ut Ethnicis Principibus gratificetur, et crescentem in dies et invalescentem Christi Religionem infirmet, eiusque fundamenta apud vulgus hominum dubia reddat. Contra vero Christi, et Apostolorum prodigia coaevis plurimisque testibus innotuerunt, ad hominum salutem, Deique gloriam apprimè tendunt, et in iis adiunctis effecta sunt, quae omni suspicioni omnique dubitationi locum praeccludunt, denique ad Christianam Religionem firmandam patrata sunt, ad quam recipendam non modo non proclives sed maxime difficiles atque adversi homines erant. Quae maximum inter utrumque prodigiorum genus discrimen constituunt.

Pauca nunc de sanationibus in Aesculapii templo patris. De his igitur ita sentiendum est: plures nempe medicae artis ope perfectas fuisse, alias bene multas fraudi doloque tribuendas. Ad primum quod attinet recolendum est, sacerdotes Aesculapii medicam artem calluisse, quinimo in remotiori epocha ipsos tantum fuisse illius artis peritos. Multos ergo morbos naturalibus remediis curare potuerunt, quod ignaro ac superstitioso vulgo prodigium videbatur. Ita certe sensit Arnobius saeculi tertii scriptor, qui ex gentiliū superstitione ad Christi fidem conversus de Aesculapii sanationibus scribit (lib. I, advers. gent.): « Beneficia ista rerum sunt, non sunt curantium potestates. » Quod autem saepe saepius dolo ac impostura in huiusmodi factis partem habuerit suadet imprimis ipsa factorum narratio: plerumque enim intercessisse narratur Deorum oraculum (idest sacerdotum responsum), vel somnium ab Aesculapio immissum quo remedia vel conditiones recuperandae sanitati necessariae aegris revelatae dicuntur. Idem confirmant docti scriptores eorum temporum, et de rerum veritate testes idonei,

qui non dubitant multa ex citatis prodigiis fraudi tribuere; ut facit Aristophanes in Pluto (Act. 3, Sc. 2^a), Auctor Clementinarum (Homil. 9), et Origenes (lib. 3^o contra Celsum).

Obiiciunt 2^o Contra argumentum ex vaticiniis desumptum: prophetiae donum etiam inter Gentiles extitisse, pluraque apud Ethnicos vaticinia reperiri quae eventu confirmata sunt. Nihil proinde ex laudato argumento pro veritate Christianae Religionis deduci posse.

Respondemus. Adversarii non attendunt immensum extare discrimen inter vaticinia a nobis adducta et ea quae ab Ethnicis scriptoribus iactantur. Veri enim vaticinii characteres sunt 1^o ut res naturaliter praenosci non poterit; 2^o ut certum et determinatum habeat sensum neque in utramque partem trahi possit; 3^o ut veram doctrinam confirmet verumque hominis bonum respiciat. Quis autem in fictis Ethnicorum oraculis huiusmodi characteres agnoscat? Pudet in hisce refellendis immorari, quae etiam sapientioribus inter Ethnicos fictitia ac ridicula visa sunt. Audiatur pro omnibus Cicero in lib. 2^o de Divinatione, de hac re adversus Chrysippum disputans: « Nam igitur, inquit, me cogis etiam fabulis credere? quae delectationis habeant quantum voles; verbis, sententiis, numeris, cantibus adiunguntur; auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commentitiis rebus adiungere: eodemque modo nec ego Publicio nescio cui, nec Marcii Vatibus, neque Apollinis operis (oraculis) credendum existimo, quorum partim ficta aperte, partim efflicta temere nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt. » Tum vero ad Apollinem conversus ait: « Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime: partim flexilouis et obscuris, ut interpretes egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis et quae ad dialecticum pertineant. » Et revera talia esse apparent ea quae apud veteres scriptores leguntur, ut est illud apud Herodotum: *Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim*; aut illud ab Ennio relatum: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse*; quae captiosa potius aenigmata sunt, quam vaticinia, et in quolibet rei eventu, sive Croesus hostium sive suam vim opum pervertisset, sive Pyrrhus Romanos, sive ii Pyrrhum vicissent, impleta dici possent. Contra vero vaticinia Christi et clarissima sunt, et nullo humano

consilio praenosci poterant, et ita ad unum sensum determinata ut non nisi in uno rei eventu impleri possent. Sed iam de his satis.

Hoc unum addere praestat ad aequivocationem omnem tollendam, absolute loquendo non repugnare unum vel alterum veri nominis prodigium apud Gentiles patratum fuisse, aut verum aliquod apud eos vaticinium editum esse: imo, ut superius innuimus, non desunt inter doctores Ecclesiae qui existimant ex graverum esse prodigium Vestalis virginis aquam in cribro ad Capitolii arcem deferentis, vel oracula quaedam a Sibyllis prolata vera vaticinia fuisse. Sed haec nobis minime officiant. Non enim in confirmationem Ethnicae superstitionis haec facta sunt, neque ad eam confirmandam ullo modo pertrahi possunt, sed per eadem Deus aliquam veritatem confirmare voluit, aut aliquam veram virtutem, quae in Gentilibus quibusdam inveniretur, probare. Ita ex. gr. citatum Vestalis miraculum ad virginitatem eius et castitatem probandam editum fuisset, quemadmodum inter ceteros sanctus Thomas affirmari posse opinatur inquit (De potent. quaest. 6^a art. 5^o): « Non est remotum a veritate quod in commendationem castitatis Deus per Angelos suos bonos huiusmodi retentionem aquae per miraculum fecisset. » At vero miracula Christi et Apostolorum numero paene infinita, ad Christianae Religionis confirmationem parata sunt, eamque certissime veram demonstrant.

Concludamus igitur: semel admissa librorum Novi Testamenti veritate, necessario divinam Christi et Apostolorum missionem, et consequenter Christianae Religionis veritatem, divinamque originem esse admittendam.

SECTIO II.

DE AUCTORITATE HISTORICA LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

Praenotanda. Probata Novi Testamenti veritate, iam tuto accedere possumus ad Veteris Testamenti libros considerandos, quorum veneranda antiquitas, summa difficultas atque obscuritas fundamento illo indigebant, ut certa demonstratione ut authentici et veri demonstrari possint. Antea vero nonnulla de hisce libris generatim praemittenda sunt.

I. Libri Veteris Testamenti sunt ii omnes qui ante Christi adventum a sacris Hebraeorum scriptoribus prodierunt. Sunt autem omnino numero quadragintaquinque: ex quibus, ut alias vidimus, septem *deutero-canonicali* appellantur, scilicet *Baruch*, *Tobias*, *Iudith*, *Ecclesiasticus*, *Sapientia*, et duo libri *Machabaeorum*, ceteri triginta octo *protocanonicali* sunt scilicet in canone Sacrorum Librorum apud Hebraeos usque ab initio recepti. Hi autem in *viginti duas* sectiones ab Hebraeis dividi solebant iuxta numerum litterarum alphabeti hebraici, ab aliis etiam in *viginti septem* sectiones, nempe quinque literis finalibus, aliquando etiam, praesertim apud recentiores Hebraeos, in *viginti quatuor* (1) unde orta apud eos appellatio *ספר הארבעה ועשרים* idest *codex viginti quatuor* (librorum): iterum autem totum librorum canonem in tres partes dividebant, ut alias diximus, quas appellabant *Legem*, *Prophetas* et *Agiographa*. Quinam autem libri ad singulas classes pertineant ibidem innuimus.

II. Quanta porro istorum librorum gravitas sit, pro nobis etiam Christianis, et quantus ex eorum studio sperandus sit fructus ex

(1) Nempe isti separant librum *Ruth* a libro *Iudicum* et *Lamentationes* Ieremiae ab eius *prophetia*, quae in communiori hebraeorum divisione coniuncta sunt, et ita efficiunt numerum XXIV: ut autem litterae alphabeti iis sufficiant ter repetunt litteram *jod*, et id quidem in honorem nominis Dei; nam littera *jod* ter repetita apud Chaldaeos et Rabbinos Chaldaizantes stat pro nomine tetragrammato יְהוָה